


**05
A
1448**



78

Cum Deo!
De
SOCIETATE CONJUGALI
ex Sapientia Civili
publicē disputabunt
M. MICHAEL SCHNEIDER
Collegij Philos. Adjunctus,
ET
JOHANNES SCHNEIDER
Betterfeld.
ad diem 22. Junij
In Auditoriō Minori

WITTEBERGÆ

Ex Officinā Typogr. JOHANNIS RÖHNERI,
ANNO M DC XXXVI.

Cum Dolo
SOCIETATIS COMMUNICANT
EX LIBRIS QIVI

ЯСТИИНДЕР АНДІМ . М
LANDESBIBLIOTHEK
HALLE (SAALE)

ЯСТИИНДЕР АНДІМ . М



105 A 2448

БІБЛІОТЕКА
ІМ. І. АНДІМА
ІМ. І. АНДІМА
ІМ. І. АНДІМА

In Nomine S. Sanctæ Trinitatis.

Summaria Dissertationis

A.



Ulatuor præcipue in considerationem veniunt in fœcunda de conjugio materia 2. ova-
matologica evoluta. 3. multi sentiunt con-
jugium non esse ineundum 4. in primis li-
teratis. 5. Responsum ad illorum argumen-
ta 6. Monstratum ab ipsa Natura nos trabi-
an societatem conjugalem 7. Et studijs in illa locum esse. 8.
Qualis Uxor sit ducenda? 9. laudatur proba & honesta, pia
& verecunda 10. Formæ ratio habenda 11. Sed non tantum
12. perstringuntur puellæ, quæ pictam faciem gerunt. 13. cogi-
tandum inter alia de divitijs & dote 14. nec non de pari 15.
Virgo viduæ preferenda. 16. Mariti munus est fœminæ presta-
re debitum naturæ, illamq; alere & defendere 17. penes ipsum est
imperium in familie administratione. 18. Uxor bona con-
cipit & parit. 19. sibolem suò lacte nutrit 20. debitò honore
Dominum afficit 21. nec de facili Zelotypie indulget. 22. do-
ni haret, non evagatur, & per annum luget elatum marem.
23. solvitur conjugij vinculum adulterio. Num desertione ma-
litiosa? 24. Num contagioso morbo? vel mentis delirio? 25.
Veletiam sterilitate Uxor is? 26. Conclusio.

C. I. Unius viri Fœminæque Consortium latè patentem di-
cendi campum nobis aperit in præsens. In quo cum multa ob-
servatu digna occurunt, cum quædam potissimum ita compa-
rata sunt, ut neglecta in avia præcipitent euntes, expedita vero
ducant

Copia ar-
gumenti
de Con-
jugio.

ducant inoffensos ad præfixam humanæ vitæ metam. Cœterum
illorum cardo in his potissimum vertitur, an tutum sit omnino bac-
Quatuor tempestate conjugium inire, qualis honesto Viro ducenda sit uxor, que
principue munia imposuerit Natura marito pariter & uxori obeunda, & quō-
contro- tandem cuneo laxetur arctissimæ Societatis nodus? Nam, ubi his
versa. omnibus in animum admissis nactus fueris puellam ad genium-
tuum factam, adeoq; perspectum habueris, quid ipsi facias, &
quid illa tibi debeat vicissim, de festivitate nuptiali, & ejus præ-
ludijs, quæ Sponsalia vocant, facile & ultrò cogitabis. Quare et-
iam de ejusmodi ceremonijs & apparatu solenni nihil hic expo-
nemus, sed Matrimonij Candidatis ad alios ablegatis, qui hæc Sa-
cra pandunt & explicant, id tantum agemus auxiliô divinò fulti,
ut tempestivè illi commemoratas quatuor quæstiones decidere
discant, antequam ambiant uxores. Siquidem hic bis peccare non
licet, nec arte corrigi potest malum, quod semel contraxit mor-
talibus impetus inconsulto. Porrò evolutioni nominum diu im-
morandum non erit. Etenim si ullibi, certè in connubijs res ma-
gis in considerationem veniunt quam verba. Paucis ergò eri-
mus contenti.

Evolutio
Nomi-
num.
Reuchl.
Munst.
Avenar.
Schindl.
Buxt. &c.

Schindl.
471.

§. II. Antiquissimi Populorum Ebræi suo יְהֹוָה utuntur, cum quendam affinitatem cum aliis iniisse dicunt, eodemq; vo-
cabulo & Generum aspectu Soceri & Socrus, & Sponsum ratio-
ne desponsatæ vocant פֶּתַח, observantibus Lexicographis. Fœ-
minam autem non ultimam festivi contubernij partem נָשָׁה
vocant, ab פִּנְאָס mas, maritus, quasi Viraginem dicas. Simili-
ter נָקְבָּה à Radice נָקַב fixit, perforavit, cujus nominis Etymon
facilius cogitari potest quam enarrati. Rabbini ab Ebr. גְּשִׁים
arcessunt sibi proprium verbum נָשָׁא in uxorem duxit, quando
ajunt שְׁלָמָה גִּיר בְּנָשִׁים וּנְשָׁאן Salomo proselytas fecit mulie-
res, & duxit eas uxores. Hinc נָשִׁי uxoratus & nuptiæ,
conjugium, quod Chaldais, Syris, & Arabibus aliâ voce Magistris
illis communi, & cum Græcorū ζυγός (ἀλεύχω) conspirante γάμος
vocatur, Ipsi autem Græci γάμον definiunt hoc modo; quod sit
συζυγία: ἡ συνοικοσις: αὐδρός: ἡ γυναικός: νομίμως τέρος τὴν πατέ-
ρα ποιεῖ, ad quam Etymologiam alludit Latinorum conjugium.

ita



ita dictum, quia mas & fœmina communi quodam iugo copulantur. Sed nec omittendum, uxorem dici quasi unxorem ab ungendo, nam cum ad limen usq; mariti processisset nova nupta, postes ante quam ingrederetur, oleo, vel etiam lupino adipe inungi solebant, ut ex Plinio, Servio & alijs constat. Veteres Germani pacta & leges dixerunt Ehe. Unde Verus Instrumentum, die Alie Ehe. Et conjiciunt quidam, Societatem conjugalem ob mutuam pactionem ab ipsis vocatam fuisse die Ehe.

§. III. Jamq; nominibus leviter excusis venimus ad institutum. Ubi quid primò, quid mediò, ultimòve locò dicamus, Arguancipiti distingimur cogitatione. Adeò speciosis rationibus menta pro se tuentur, quotquot vel delicijs jugalis tori inescati ævum ge- cælibatu. nialiter transigere volunt cum socia vitæ, vel molestijs hu- jus vitæ generis territi ab uxore ducenda abhorrent. Pugnes pro libertate tua velut pro aris & focis, si posterioribus vel tan- tillum aures substringas, mox ubi contrariæ sententiæ patronos audiveris, nihil naturæ magis convenire dicas, quam ut homo masculus amet bellam fœminam. Enim verò solitariæ vitæ ad- dicti cælibem quasi cælitem agnoscunt, nec in alio Erymo Grammaticis credunt. Commendant liberam vitam à vacuitate dolorum, quos conjugati semper devorant, soluti verò nuptiarum vinculis cautè declinare notunt. Causantur multa præter morem consuetudinemque Spensis agenda & maritis; Salutan- dos esse vicinos, & colendos amissæ cognatos, sordidos sæpè, austeros, avaros; obsidendas esse fores, reverendos seniores, metuendos. omnes; quiritantur ignobilibus curis macerari mentem, seriò cogitandum novo Sponso de jocis quos misceat cum puella, vel de sarcasmis, quibus ancillæ & pueri exagitent absentem subinde procum; Comœdiam in Scena ludendam & exercendam histrioniam, ne suppressi & dissimulati vultus appaseant, & totam fabulam prodant; gressum dirigendum cum cura & sedulè cavendum, ne vel pallium ut in vitiosa lance in alteram nimis partem propendeat, vel ab interiori habitu, tanquam in bello intestino dissideat, vel cultus & vestitus à genio hujus seculi longius divertat, vel compositi denique capilli tur-

A 3

bentur,

Lips. lib. 2.
Saturn. 1.

c. 2.



bentur, aut barbae latus, quod in meridiem vergit, longius porrigatur altero, quod spectat Septentrionem. Deterri se ajunt a connubio malitia fœminarum, quas eo experientia temporum horum vitio proveetas traducunt, ut prima ruptiarum nocte nihil inassueti de viris suspicentur, adeo, ut si non solum crimen, sed & suspicione carece debeant, ad instar uxoris Julij, nullas planè ducendas esse sibi habeant persualum. Recte cecinisse Poëtam:

Crede ratem ventis, animum ne credere puellis:

Namq[ue] est fœminea tutior unda fidei

Fœmina nulla bona est, & si bona contigit ulla,

Nescio quo pacto res mala facta bona est;

Numquam Socrati justiorem querelam excidisse, quam cum se tribus magnis malis infestari professus est, Grammatica, Paupertate & perniciosa uxore; contra nunquam svavius ipsum lusisse, quam cum cælibes composuit cum piscibus circa nassam alludentibus & gestientibus inire, maritatos autem cum captis & anhelantibus pristinam libertatem; fœminas lene tormentum esse, & idem quod vinum posse; nec despuisse Democritum, cum interrogatus, quare parvam sibi junxit uxorem, respondit, quia ex duobus malis minus eligendum fuit.

Literato- §. IV. Imprimis autem Viri Literati & Sapientiae studio de-
rum con- diti cum lucta descendunt in hanc arenam, quia cum mulierum jugium in- ingenii conflictantur infeliciter. Nam & Ciceroni degener- felix p[re]rem fuisse filium constat, & humani generis Siren Socrates libe- tenditur. ros aluit matri similiores quam patri, hoc est, stolidē ineptos. Et vid Erasm. verò, quoties quæso fit, ut publica, ac ubivis terrarum nota no-
Stult. p. 65 de Laud. mina privatas thalami delicias ignorent? quod festivis verbis
In Epist. nobilissimus Heinsius descripsit, ad quem Lectorem amanda-
ad Prime- mus. quoties alios quam poëticos pedes cogitat uxor, cum in nu-
meris & versibus laborat Musis suis intentus maritus? quoties rium. alium locum in mendo cubare freunt, cum ex antiquis quædam loca à se emendata Criticus infelix jactat? qui sensim negligentiā suā id efficit, ut ad proximum eatur, nec ioli Actæoni cornua fingantur à Diana. Quod si ab uxoria cuta omissores esse no-
unt

Bunt libris nati homines, & stola regnum concedunt, repudium
mittere coguntur Aristoteli & Platoni, & cæteris Sapientia Ma-
gistris. Succedens educatio liberorum non permittit, ut cum
studiis accuratam ut antea, habeant rationem: interpellat illa
familia tumultus & strepitus, urgent non semel nummis & viri-
bus exhaustum virum institores, propolæ, Sartores, maximæ ge-
nerosæ mentis crues, Adde, quod homines ingenui & libera-
les, quales Philosophia amat, nihil ægrius ferunt, quam si fren-
deat uxor, quoties hospites ad ipsum invisiunt, ac paulò liberius
colloquuntur ac bibunt. Et tamen hoc ferè morbo omnes fœ-
minæ laborant, ut parcius justo dispensent bona, & honesto no-
mine parsimoniae avaritiam fœdam tegant. Sexcenta alia in-
commoda in medium proferunt, qui socialis lechi gaudijs mi-
xtas ærumnas & anxietates fastidiunt & aversantur, quæ hic alijs
relinquimus cogitanda.

S. V. Nam stamus à partibus illorum, qui cælibatum
quidem laudant in continentibus, sed tamen alijs conjugium
suadent & commendant, quibus adversus voluptatum stimulos
nihil vel parùm præsidij datum est à Natura. Profecto multi
levi impetu & quadam tenera imagine, quam de virtutis præ-
mijs concepere, vitam eligunt tranquillam, & ab omni morta-
lium consortio remotam, sed ut librata fundis faxa in primo
impetu immodicè fervent, mox cessante machinâ mirantur se
langvare. Non enim tam facile est hanc pergere viam quam
inire. Levi momento impellitur animus noster in hoc carnis
Paradiso sensuumq; diversorio. Mane sæpè placet tantum sa-
pientibus immorari, lucem fugere & theatrum, vesperi vulgi
voluptatibus misceri non videtur intempestivum prorsus. Quip-
pe quo ingenio sumus, delectamur varietate. Quin imo ipsa
Natura mortales non tenui filo, sed firmis compedibus trahit
ex latebris in mundi conspectum & fœminæ societatem. Neq;
enim frustra diversum condidit sexum, sed ut esset mutua com-
munio utriusque, & suavi συζύγια mas & fœmina conjungeren-
tur. Enimvero si solius voluntatis arbitrio huic jugo subde- Conf.
remus colla, soli homines amaremus. Nunc verò bestias quoq; Arist. folli- Oecon. c. 3.

Tollicitat insens hie affectus, & Creatoris candidissima progenies, suoque cœlo proxima, volucres ignem suum Musicè fatentur, & quia uruntur, canunt. Neque in adolescentibus cantum, aut maturæ & robustæ ætatis hominibus blanda illa cupiditas concitatur, quam Amorem vocant; sed & pueros inflammat in innoxijis annis, ut intelligas, non aliunde inferri has scintillas in humanum pectus, sed cum illo nasci planè.

S. VI. Scilicet ita comparatum est cum rerum Natura, ut alibi demonstrat Philosophorum Summus ad finem Entium omnium, qui Deus est, inclinatione suâ tendit optima illa Mæternium, eamque quantum quidem potest, asequi cupit & imitari, fundatur in perpetuam gloriam vindicatura nominis sui famam & decus. Cùm autem per tot generationis & corruptionis causas se ipsam in individuo nequeat conservare, speciei propagacionem molitur, & conatur sui simile opus post se relinquere. Hinc veluti ex seminario quodam prodeunt tot familiæ, vici, pagi, urbes & Republicæ. Hinc illæ amantium lacrymæ erumpunt, & tot calentia vota, quicquid etiam somnient fœminei sexus osores, cui dum inclementer dicunt, parum cogitant de injuria parentibus illata, quibus nunquam sat dignus honos haberi potest. Sanè nisi illis virginitatis flos defluxisset, alios florulos ætas nostra non ferret, quorum pulchritudine caperemur. Nec est quod nimis molestum esse putent matrimonij capistrum. Nam ne extra illud quidem ducitur ex voto vita. Quot enim nos quotidiè casus collidunt, quot incommoda premit? An putas illum cœlibem tam compositæ felicitatis esse, ut non subiade cum sorte sua rixetur? Cum animum superfluis curis consumit, quis amabo, ipsum solatur bonâ fide? Cadenti quis sublevantem porrigit manum? quis erigit languentem? Co-gita non amplius celebrari nuptias in felici illo horto, sed illo procul in valle misericordiarum. Solve humano generi debitum vestigal, nec in gratiam publici boni detrecta molestias privatas, siquidem interest Reipubl. ut sapientias publice accendat honestus & permensus Amor, sine quibus illa stare nequit, multò minus incrementum capere & florere. Unde id imprimis curæ fuit

fuit antiquis Legumlatoribus, ut ad conjugia impellerentur ci-
ve s. Certè Lycurgus instituit cœlibes cum ignominiosa cant-
lena per urbem duci. Eosdem Athenienses dederunt mulieri-
bus in die festo circa aram trahendos & flagris cædendos. At Tom. 1.
puellarum levis genius, inquis, & quod cum istis studia injetunt p. 46,
certamen, revocant à calcanda hac semita volentem. Sed er-
rasò bone! quippe non adeò in anxio sitæ sunt res connubij, ut
non liceat invenire virtute & moribus pulcris conspicuas Vene-
res, modo tibi ipse non desis, nec tam affectuum vehementià
ducaris, quam judicio rationis. Hærent omni ætate in piarum
matrum sinu bellæ, insontes & delicatæ illius artis, quam con-
juges profitentur, adhuc rudes & ignaræ filiæ, quas qui feliciter
procatur, non ultimum in vita bonum consequitur.

§. VII. Cœteras vel in quotidianæ patientiæ gymnasium, An etiam
vel in pœnam licentius actæ vitæ mortalibus dispensat provi- studia tra-
dum Numen, nec alitèr constant hæc Sacra. Poetarum autem ëtari pos-
Musas quanquam interpellant spirantes & vividæ Nymphæ, in sint in
exilium tamen protinus non mittunt. Imò se majori ardore, conjugio?
ad illas se redire testantur experti quidam literati, postquam
cum harum una, in lecti consortium decenter admissa suavi-
ter transleg erunt. Puto quod ita cum Stoicis diluant morosam
contemplandi voluptatem, & complexibus amœnis abstergant
graviores curas; non quidem ut corpus, quod ut plurimum fra-
gile nanciscuntur, insano furore exhauiant & fatigent sed ut
majus desiderium in animo accendant & inflamment, ipsique
deputatum domicilium integrum relinquant. Adde quod
magnæ dignationis Viri aliorum obtrectationibus facilius pa-
tent, si cœlibes forte insonibus jocis lacestant aliorum fœminas,
vel per intervalla incantati illecebbris amoris indignum quid fa-
stigiò suo admittant, quæ dispendia famæ nunquam cautius vi-
tant, quam cum domi thesaurum fovent, quem alibi frustra quæ-
rant. Sobolem denique satis piè & feliciter educant eruditi.
Nam quod illorum liberi quandoque delirant, aut ingenio
parum tractabili nascuntur, commune conjugum fatum est,
qui in timore Dei congressi ab eodem favore præstolantur libe-
ros

I.8. Polit. *p. 539.* *ros bonos, cui cæterahumanitatis solatia debent. Nec video*
cur conjugio Clericorum iniquus Boter illo populum quidem
augeri concedat, at neget educandi rationem inde meliorem
reddi. Qui enim mensuram nominis sui implere student Sacer-
dotes, non minus familæ quam Ecclesiæ virtutum studia in-
culcant, & quando ob sumtuum siccum venam non omnes na-
tos studijs ad æternitatem nominis assuefacere possunt, eos cer-
tè ex officio honesto generi vitæ addicunt.

Qualis
eliganda
fi Uxor?

Plutarch.
in Ly-
curg.
Gall.
Prov.
Prendre
ne dois
elachan-
delle Ny
or, ny toi-
le, moins
pucelle.
Stob.

Serm. 46.
Arnif.
p. 81.

§. VIII. Jamq; manifestum esse paramus, si per appetitus
naturalis vehementiam aliter non liceat, extinguendas potius
esse in socia vita flamas tempestivè, quam dissimulandas &
fovendas in cœlibatu periculosè. Sequitur nunc ut qualem
ducere expediat, edisseramus. Hic verò sæpiissimè futuri con-
juges errant, sive hoc fatofit & latentium causarum nexu, sive
res falsò modò metiuntur, & in amentiæ pœnam affectuum nu-
be cœcati nescio quæ ludibria arripiunt pro Junone. Evidem-
brevis cantilena est: Sum tuus, esto mea. Sed dirò sæpe Epiphō-
nemate aures pariter & animum obtundit. Equum nemo emit,
eujs notas, virtutes, & vitia, aspectu vel manu non explorarit
ante. At quoties, quæ alijs obtrudi non possunt, cum sarcina-
obruunt infelices. Propterea nihil magis seriò agendum, quam
quod semel actum nequit mutari, nisi tum, quando vitam cum
morte commutamus. Non cum Lacedæmonijs noctu contra-
henda sunt matrimonia; sed animo deliberatō, ne quem dolum
texit nox, dies prædat. Nam nec byssum, nec aurum licitamus
ad lychnum, quia decipi timemus à mercatore, nedum blandum
illud animal ad tumulum usq; in thalamo fovendum. Nec ocu-
lis tantum hic utendum est, ut videas faciem; sed & auribus, ut
quæ gratia sit loquelæ discas, nam ut ex vultu legimus mentis
notas, sic in voce illius apparet character. Quo magis Dapso-
lybies mireris, qui omnes uno die congregati uxores simul du-
cebant post Vergiliatum occasum eà ratione, ut seorsim di-
scumbentibus fœminis extinctis lucernis immiscerentur viri,
illam quilibet pro uxore retenturi, in quam forte fortuna inci-
derant.

Ante

O T

§. IX. Ante omnia ergo de Probitate & honesta fama virginis cogitandum, nec non de virtutibus, quibus illius parentes nient & agnati, ne de moribus ultima quæstio fiat, quæ hic primas jure tenet & tuetur. Nam si Germanorum judicio pro amico habendus non est, nisi cum quo modum salis absumseris, multò magis hoc in socianda tibi fœmina observandum est, quandoquidem amicum, cuius te satietas capit, dimittere potes; semel receptam uxorem autem non licet repudiare. Non nimium in Rebuspubl. sapiat fœmina, quæ domi philosophari debet, & cuius ingenua simplicitas ipsi marito grata est. Nox anxia inquirat in communem vivendi rationem, in ingenia & studia juvenum & amatorum, quæ in conventibus statim ventilare solet sequior sexus. Ubi sæpè procos non tam æstimant, quam metiuatur. Pietati studeat imprimis & cultui Numinis supremi, ut qui testis est concessæ voluptatis thalamus, conscient sic communium viro cum uxore precum. Etenim ubi Pietati suus locus est, (summus autem esse debet) ibi bonorum omnium abundans est proventus, quæ & titulum hunc semper tuentur & merentur sola. Siquidem ut hæc virtutum pulcherrima non sine satellitio est: sic nec sine dote, quippe quæ nunquam versuram facit, & in cuius mercem nihil fortunæ licet. Agnoscant hoc Judæi, cum in vocabulis שׁׁנָה & תְּנוּן arguantur, & illud matrimonium felix esse dicunt, in quo sit יְהוָה, sed in quo, non sit יְהוָה merum esse שׁׁנָה ignem. Nam si in שׁׁנָה manet Jod & in תְּנוּן manet יְהוָה, felix est conjugium, quia יְהוָה est in eo. Si vero demiseris ex שׁׁנָה Jod, & ex תְּנוּן יְהוָה, remanet שׁׁנָה eritq; matrimonium sine יְהוָה merus signis. Porro pietatem sinceram excipit & comittatur castitas & verecundia, summi pretij monilia, quæ fœminam exornant. At quam rara in hoc seculo gemmæ! quibus si accedit modestia, & amabilis morum gratia, & in ore quædam quasi habitans Venus, omni carmine, omni incantamento fortius & efficacius devincietur sponsæ animus novi mariti. De cetero improvisis salibus reficere convivas, furtivis oculorum natibus petulcorum subscribere commentis, vel

Commentio
datur pietas
& studium
virtutum.

Ebreorum
subtilitas.

Vid. Dracon
nit in c. I.
Gen. die
Sexto.

Castitas &
Verecundia
mutibris.

sermoni ex Poetis etiam festivos quosdam versus immiscere, & Latij nosse verba, ut paucis ingenij placet, ita non ubique tuum est, & certe nomenclatorem sibi non dicit mas, sed maritam.

*Jucundū
est sociare
sibi formo-
sam.* S. X. Proximum his erit habere rationem vacitatis & elegantis formæ, puta si de mentis indole bona & pulcritudine constet. Etenim

Gratior est pulcro veniens è corpore virtus.

Et quis adeò stupet, ut non malit faciem videre venustam, quam deformes basiare buccas? Quem non capiat amoenæ gratia genius, quo cunctæ actiones fœminæ placent, vultus emendatus & ad amabilem festivitatem compositus, oculi, velut ex auctu pio amoris castas illecebras vibrantes, osculum, in quo Gratiarum myrothecium, & omnium leporum ac elegantiarum effigiem invenias, & si quid præterea amari potest. Novimus equidem etiam in distortis artibus magnas hospitari animas, & in aureo corpore pectus sæpè plumbeum; tamen nec hoc perpetuum est, & sæpius forma ut hedera bonæ mentis à Naturæ confinio suspenditur & virtutum. Hinc Socrates in pulcrorum oculis ac vultu notas quasdam ac semina divinitatis risuari se ajebat. Ex illis tanquam astris formam animi interiorem ac præclaram constitutionem elucidere.

*Lubricus
amor est
qui tantū
forma in-
nititur.* S. XI. Cœterū ut in summa felicitatis titulis numeramus piâ simul & venustâ Sponsâ potiri, quæ & pulcro aspectu oculos tibi defigat in stuporem, & omni virtutum choragio mentem rapiat in admirationem; ita nemini autores sumus & suatores, ut insuper habitâ honestate morum in sola corporis compage ambitiosè deliret. Fluxus amor est, qui tam fragili inititur fulero. Et quid de eo fiet, ubi oris iste habitus & nativus color procul recesserit? Cadit aurea cæsaries, & ventis spolium debet, quæ toties in aëre lusit, reliquæ illius hyeme horrent & nive, excidunt dentes ebore quondam candidiores, premitur arcum luminum jubar caliginosâ nube, in fronte fulcis & rugis exarata numerantur exacti anni & labore svitæ exantlati, concidunt genæ, & dissipantur lilia rosis mista, nec unquam tan-

tum

tum capitis damnati timent severi judicis aspectum, quām speculi judicium horrent fœminæ decoris detriti. Et ut diu luctentur cum fato suo mulieres formosæ, certè unicus morbus ita vultum depopulari potest, ut unâ horâ plus fastidij inde redundet in aspicientes, quām delectationis à multis retrò annis. Taceo quod pudicitię magna lis sit cum pulcritudine. Nam in succi pleno corpore luxuriat spirituum copia, & suspicionis causæ publicē circumferuntur. Plures fœminæ felicius ævum transegissent, si minus venustæ fuissent. Videas sæpè exquisitis picturis & insignibus publica hospitia notari & circumvestiri, quæ cum ingrederis, fœda offendis: Tales istæ, quæ venustatis speciem extrinsecus mentiuntur, ac lenoniâ difficultatis arte tacentur honestatem, intus verò nihil habent, quod sit sincerum, quas Chrysostomus sepuleris dealbatis & Clemens Alexandrinus templis Aegyptijs confert, quæ foris quidem ē solido marmore structa, multoque auro magnifice exornata sint: verū in tantibus propter altaria deformè aliquod Numen, utpote selem, Crocodilum, aut venenatum serpentem adorandum propo-
nunt. Quo spectaculo nihil turpius esse putamus.

§. XII. Sed & in eo magnum stultiæ argumentum ostendunt delicatulæ quædam, quæ faciem pingunt, vultum singunt, & de die vel centies super capillis consilium speculi implorant. Nam sic martyrij quadam specie affligunt non immiteritum cor-
pus. Sunt quæ candidam comam denigrant, invitam naturam coacturæ in imaginarium decorem. Aliæ pulvere eandem conspergunt, credo, ut semper obvium umbræ & pulveris memoriale secum circumferant, in quam tandem revertantur. Omnes autem ex hoc ordine ostendunt, sibi propria bona non suppetere, cum aliunde ascito simulamine formam interpolent. Profectò plures nativi coloris nanciserentur admiratores, si tot mutuatitijs oclifetijs non incederent onustæ. Imò ut de cœlo præcipitata stellarum simulacra, postquam oculos nostros ad tempus sefellerunt, calu tandem monstrant, quod sunt & evanescunt; Sic ficta species fœminæ vel virginis non minori jacturâ illius famæ, quām spectantium risu in fumum abit &

B. 3

vapo-

hom. 1.
in Psal. 50.
lib. 3.
Peda. c. 2.

C. 222



Vid. Camer. vaporem, ex quo constat. Quare fastidiosam hanc nationem
in Medit.
bistor. cent. fuge quisquis es, qui maritis te jungere cupis, quippe in qua
non Christiani solum Patres invehuntur, sed & Ethnici Scripto-
I. c. 10. res & profani. Quae enim dementia haec est, quae vesania, ima-
de Christ. ginem Dei deletere fucata tinturâ, & reformare velle providæ
fæmina c. de Naturæ opus? Quis ferat hoc mortalitatis ludibrium, colere
ornam. & sumtuosum indies idolum, & erogare nummos pro tot fucis, tot
Jac. Cats balneis, ungventis, odoribus & comituris? Certè sapientes tan-
poetam in ti pœnitere non emunt.

lebrem de §. XIII. Venimus ad divitias & opes, quas plurimi quidem
fæmina ho- ut accessorium bonum nuptiis prætexunt, & tamen absq; num-
nesta p. 130. missi esset, ne per somnum quidem aut febrem in fœminam in-

Dixites & ciderent. Quasi verò emtionis species sit connubium, aut jun-
opulenta gendæ in summæ amicitiae Sacramentum collybô infectæ ma-
laudantur. nus! Evidem si benè morata virgo nullibi modum excedat
quam in pecunia aut hereditate nolim eam repudies, præsertim,
si te benè scias uti, & inde studijs suis ite consultum. Quid enim
misierius est, quam procreare liberos fortiter esurituros & preca-
riò tracturos spiritum? Contrà, quid dignius homine festivo,
quam ad svavia, amplexus, & omnia amoris tributa, quæ nemine
sollicitante sponte & absq; stomacho solvas, stipendiò quodam
prolectari, ne gratis scilicet sis felix. Ut de Veneris indole nihil
addam, quæ sine Cerere & Baccho solet frigere. Si verò splen-
dens illud lutum jactetur ab alijs, quas nec morum integritas,
nec probitas parentum commendat, tanti illud nunquam faci-
endum est, ut dotem sumas, & auream libertatem vendas. Quid
enim? mancipium eris alienæ libidinis, & nisi tantum pallueris,
quantum voluerit locupletata miras excitabit tragœdias, & stu-
ticiam tibi exprobabit. Similiter male agit cum nata Parens, si
diviti illam elocet, non estimatis generi virtutibus, quas opera
preium erat accuratè ventilasse. Quò pertinet sapientis The-
mistoclis notabile effatum, qui honesto potius quam diviti nu-
ptum suam filiam dederat: Malo, inquit, habere virum carentem
pecuniâ, quam pecuniâ carentem viro.

Jubat sibi
jungere pa-
rem.

§. XIV. Præterea non ultima cura est parem sibi jungere &
deligere prius quam diligere. Siquidem quicquid dissimile est
aut nimium, in Republ. seditionem, in familia molestiam creat.

Contra

Contra nihil non est communis, ubi fortunarum est æqualitas; nec divortio locus relinquuntur, aut dissensioni, ubi in idem mentes conspirant. Quare hic egregie peccant, qui majorem stemmatum ambiunt & illustrem langvinem fœdâ rusticitate inaculant, homines infelicissimè ambitiosi. Nam & nobilioribus ludibriis debent, qui eos veluti ex altiori scena despiciunt; nec acerbos æqualium jocos evadunt, supra quorum sortem caput attollere laborant. Similiter male sibi ut plurimum consulunt, qui in peregrinas terras excircunt, floscum petum ignotum, quem tutius decerpere poterant domi. Periculosem enim est herbam, cuius vim perspectam non habeas præmissus contrectare, nedium fœminam. Cœterum observare licet paritatem & proportionem eam hic intelligi, quam vocant Geometricam, quâ omnia æquari possunt ratione viri prudentis. Sic apud Strabonem Metrodorus pauper Philosophus diuissimam uxorem ducre potuit æqualitate inviolatâ. quando eruditio compensat opes & virtute suâ multas divitias includit. Sic hodie literati, postquam in studiorum continuationem patrias opes impenderunt, ditiorum quorumvis & mercatorum filias sibi jungere consultum ducunt, quorum illi thesaurum in animo, hi in capsis potissimum reponunt.

Gall. Pro-
verb: Qui
loin se va
mârier, est
trompé
ou veue
tromper.
l. 13.

§. XV. Ulterius, si tibi optio detur viduam eligendi vel juven- fertur Vi-
culam, svaserimus, ut huic barbam & supercilium submittas. dua.

Quæ ætatis proæctioris sunt corrigunt vix mores, at si aliorum sapientiæ credimus, virginis animus sequax est, quem facile, Hesiod. 2.
quò velis, ducas, & assuefacias, vel Poëta teste

op. 5 dier.

Παρθενικὴν δὲ γαμηλίην, ὡς κ' ἡθεῖα κανόνα διδάξῃς Virginem conf. Pro-
verò ducito, ut mores castos doceas. Nimirum

verb, Ebr.

Quæ bello est habilis, Veneri quoq; convenit etas,

Drus. p. 27.

Turpe senex miles, turpe senilis amor.

§ 28.

Quos petière duces annos in milite forti,

Ovid. lib. 1.

Hos petit in socio bella puella toro.

Amorum

Hinc in proclivi est videre, quid sentiendum sit de nuptiis, quas depontani senes celebrant cum svasissimis puellis, vel exhaustæ vetulæ cum masculis indole vegetâ & robustâ, ubi nulla spes de concipienda prole restat. Et tamen hic mos latam sibi grassandi viam fecit, Quoties Janus cadaverosæ gestiunt catu-

Eleg. 9.

catulire, miscentur choreis juniorum & tremulo gannitu solli-
tant cupidinem languentem? Quofies etiam, quæso, jam ca-
pulares lenes meraque silicernia teneram aliquam virginem
ducunt, eamque indotatam & alijs bona fide inservitaram.
Cum in cymba Charontis unum pedem habent, de Helena ec-
quis credat? suaviter argutantur, & somniant de marina Dea,
cui opima spatio suspendere debebant cum hac inscriptione:

Vid. Bo-
ter. l. 8.

Vixi puellis nuper idoneus

Polit. p.

Et militavi non sine gloria!

533. Arnis.

Nunc arma defundam; bello

&c.

Hanc gladium paries habebit.

Auson.

Tutissimum igitur est extra omnem controversiam, & qualitatem
ætatis etiam observare, ne rixis, querelis, scandalis, alijsve in-
commodis ansa detur. Tempore virili utendum est, & quo
maturescere incipiunt fœmellæ. Volat enim illud, nec revo-
cari potest. Recte Poëta ad Gallam puellam jam senescentem:

Epigr. 15.

Sprevisti, obrepst non intellecta Senectus,

Nec revocare potes, qui periére dies.

Nunc piget, & quereris quod non aut ista voluntas

*Tnnc fuit, aut non est nunc ea formati b*tib*i**.*

Conju-
gum mu-
tua officia.

§. XVI. Atque hæc de secunda quæstione sufficient. Offi-
cia Conjugum succedunt & opera, quæ alter alteri ex Legibus
præstare tenetur. Et primò quidem maritus uxori tempore
oportuno nunquam deesse debet, quod debitum naturæ con-
cernit. Quanquam enim unius conjugij plures esse possunt fi-
nes, quales sunt; utriusque fortunæ habere testem & consor-
tem, ex arcta unione animorum magis proficere in virtute,
peccandi occasiones, quas multas suggerit cum mollicie carnis
seculi supremalientia, vitare, non ultimum tamen in illis ocu-
pat locum, ad invicem congregari fœtibus gignendis & edu-
candis, adeoq; Christo unam lucrifacere domum, Quod fœ-
minarum desiderium ut castum est & honestum, ita pio patrifa-
milias incumbit illi annuere & indulgere. Nimis severi illi sunt
& morosi, qui ad lectum, tanquam ad publicum tribunal acce-
dunt, & qui çodem vultu conjugi se sistunt, quo leges scribunt,

aut

aut sententias pronunciant de plano. Tum verò de alimentis prospicere debet fœminæ. Nam qui suos non alit, ne Christiani quidem nomen amplius tuetur. Ubi tamen cavendum, ne à liberali nimis sumtuum erogatione spiritus sibi sumat impotens sexus, neve uxor cæteras ordinis sui fœminas exquisitiore mundo & vestitu antecellens in superiorum odium incurrit. Defendenda etiam ipsi est lecti socia indulsa, sive periculis exponatur vita, sive existimationi nominis detrahant maledici & calumniatores. Quippe fama & vita ambulant pari passu, & capit quidem vulnus mensis spatiò solidatur, nomini autem asperfa macula ne totâ quidem vitâ elui potest. Et verò mas caput est uxoris, in quod injuriæ corpori illatæ redundant.

§. XVII. Denique rem familiarem moderari, augere & tueri decet virum bonum. Uxorcula in rebus dubiis ejus consilium præstolatur, servi & ancillæ nutum ejus observant. Neque enim magnorum virorum genius siverit, ut fœminæ fasces submittant, quæ parere nata est & paëre, non imperare,

*Apta quidem tele, sed inepta est fœmina telo,
Indignumq; viris subdere colla colo.*

Paret tamen ut uxor Viro, non ut barbara, vel mancipium Dominio. Scitè Chrysostomus, *Non ancillam sortitus es, inquit, sed uxorem, gubernatorem te Deus esse voluit inferioris sexus, non ty- rannum.* Idcirco omnia experiri prius debet vir sapiens verbis, quam armis rem aggrediatur. Quod etiam sapientissimus Homerus innuit, quando *Jovem* introducit ad minas usq; cum *Juno* l. 5. c. 7. ipsi obluctabatur, progrediente, adhuc tamen abstinentem Hexa. verberibus & pugnis. Profectò cum sexui imbecillo plurima i. Iliad. onera ferenda imposuerit Natura, adeò ut has ipsas delicias, quas ex maritali complexu capit, exquisitissimis doloribus redimere cogatur, æquitas ipsa postulat, imò flagitat, ut in comitate & lubentia mariti aliquid solatij inveniat muliercula, animal infirmum & blandum, & nisi viri humanitate sublevetur, penè natum ad calamitatem. Quod si tamen deploratæ malitiæ sit uxor, nec mitigetur verbis, sed instar crabronis irritetur magis, malo nodo malus quærendus est cuneus, nisi didiceris Socratis

Mas fa-
miliæ ca-
put.

Epigr.
Lansij, re-
citante

Schickar-
do

משפט
המלך

p. 16.

Hexa.

i. Iliad.

exemplo Xantippen tonantem æquō animo ferre, ejusdemque
fulgura & tempestates risu excipere & cachinnō.

*Uxor conci-
pit.*

*Vid. Boter.
l. 8. Polit.
p. 535.*

Advers.

Gentes.

p. 16. edit.

Colon. 1617.

Epist. 22.

*Conf. cum
bis Arift. l. 7.*

Pol. c. 10. &

Picard.

dec 8. c. 9.

abs. histor.

Polit. poster.

Sobolem.

*ipsa nu-
trit.*

Arrian.

l. b. Ep. 23.

Chrys. hom.

Joh. in Ps. 50.

§. XVIII. De Mariti munijs hactenus. Nunc qualem se uxori gerere debeat, verbō dicendum venit. Maximum ac præcipuum fœminarum officium est, expectare patienter debita lecti socialis, concipere pignus amoris & fovere conceptum. Quod faciet uxor, si quoquinq; modo abortui non dederit causam, aut vilceribus propriis non intulerit iniquas manus. Ceterè nihil est immanius, quam in infanti, naturæ castris obvallato invidere mortali bus communem lucem. Nam si flagitium est, virum, qui potest retorquere telum in verberantem, infestis armis invadere, quanto atrocius crimen erit insontem fœtum, dum in utero ad vivendi patientiam instruitur, enescere. Et tamen eò crudelitatis provehuntur multæ, ut postquam alijs mercem suam venum exposuerunt, nescio quid, bibere discant, magis intentæ famæ quam conscientiæ. Audiatur Tertullianus: *etiam conceptum ureò, dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissolvere non licet, homicidij festinatio est prohibere nasci: nec refert natam quis eripiatur animam an nascentem disturbet. Homo est, qui futurus est, etiam factus omnis jam in semine. Sterilitatem, inquit D. Hieronymus prelibunt hodie & nec dum sati hominis homicidium faciunt. Partu legitimè edito suo lacte mater infantis lacrymas & questus componat;* Ideò enim sapiens Numinis providentia mulieribus binna ubera dedit, ut quamvis gemellos enixaæ essent, uterq; tamen alimenti sui fontem haberet. Quare nec permittendum, nisi aliud svadeat infirmitas matris, ut vel meretricibus, vel aliis fœminis proles enutrienda detur.

§. XIX. Sed hic ubivis ferè locorum peccatur. In voluptatem saltem mariti denudantur papillæ, nunquam, vel rarius in domesticam necessitatem. Grande verò nefas! propter delicias eruere, quod omni naturæ Deus infevit. *Nec enim oris, nec lupus fœtum suum deserit, homo vero deserit. Opinantur deliculae magnum dedecus esse, si infantulum ipsæmet lacent. Scilicet erubescit fieri nutrix, quæ facta est mater!* *Enim verò expositionis genus est, tenerum infantem à matre rubentem adhuc, ejusq; opem & solatum tremulâ implorantem voce tradere.*

scorte



80

Scorto vel mulieri, fortassis nec corpore sano, nec moribus integris, & quæ pluris faciat nummos aliquot, quam totum infan-tem, spes & vota parentum. Adde aliud incommodum dictis, quod ita fomes suppeditatur luxuriæ, dum fœminas prostratae pudicitiae, quarum pestilentem spiritum operæ pretium erat vi-tare, non admittimus solùm in familiam, sed & saginamus cum cura, & carni lascivienti substerimus pulvillo molles, quibus suaviter incumbat. Hinc furtivum cum domesticis congressus, ja-ctura honorum, naufragium castitatis, & si quid turpius his dici potest. Germanis priscis aliud animi fuisse scribit Tacitus, i quo-rum moribus, ut sunt versabiles seculorum vices, longè nunc abierunt seri nepotes.

Vid. Erasm.

Colloq. fam.

p. 263. § 5

271. seqq.

edit. Amstel-

rod. seorsim.

Schönb p. 33

Petræum

p. 429.

Scheuerl.

diss. 4. Po-

lit. § Arist.

ipsum b. 7.

Pol. c. 17.

S. XX. Secundò ad officium probæ uxoris referimus, præ-stare obedientiam & honorem exhibere marito, tanquam ei, quod excellentius & præstabilius esse Natura voluit. Quæ nomi-ni suo respondere vult, dividit cum illo domesticas curas, & in se recipit bonam illarum partem, prospicit in angulos omnes, sublevat cadentem, algentem fovet, mœrentem reficit, gauden-tem confirmat, & modestè viro obviam it, dicendo, Domine Domoribus Germ. Plaut. in Trinum.

*Impens, quid vis, neg, tibi ero in mors, neg, latebrast me abs tuo
Conspictu occultabo.*

Sie Abrahamum Patriarcham nominatissimum non alio, quam Domini nomine compelliavit pia Sara. Quod si aliquando ira commoveatur maritus, quò ab indignabundo audiatur liben-tius, eosdem simulet affectus, & ut aqua vino infusa lenius illud efficit, & sobriæ nymphæ Deum temulentum com-pescunt. Sic in matrimonio fervorem mariti uxor tepida-temperet. Nimitum ut speculum, si tersum est & politum, reddit imaginem intuentis: ita matrem familias decet se totam attemperare ad ingenium Domini, ne tristetur illo gaudente, vel alacris sit & hilaris illo mœrente. Habet enim hoc fœmina naturæ beneficio, ut quod alij armatâ manu præstare ne-queunt, blanda Rhetoricâ obtineat, & sermone mitiori. Ulterius honoris marito debiti partes suspicit uxor, si non ex levi causa zelotypiæ indulgeat. Ex hac enim veluti

ex pyxide Pandoræ prodeunt infinita mala, quæ paradisum gaudiorum convertunt in tormentorum infernum. Quippe inquietus est animus suspicax & querulus semper, omnia tuta timet, & sub quovis viridi saxo scorpium latere credit.

§. XXI. Sanè non nescimus leviores iras, querelas & dissensiones à sapientissimis mortalium haberi pro redintegratione amoris. Verum cavendum sedulò est, ne zelus illas enixus evadat in earum nutricem. Nam cum plus justo illas fovet & laetat, rixæ illæ tolerabiles degenerant in manifesta odia & divortia, quæ, ut funestæ reliquæ, indicant alto à culmine ruisse omnem amoris structuram. Ardet amor, timet suspicio & gelu constringitur, nec fieri potest, ut tam frigidus infans natales debeat patri flagranti. Quapropter quoties in suspicionem ancipitis fidei maritus venit, vel uxor, adhibetur in consilium ratio, & omnia probè considerentur, antequam sinistris suspicionibus de mutuo amore pectora impleantur. Quæ si penitus in animum admitterentur, toties amor inter conjuges non dissiliret, cuius rei miserabile exemplum præbuit olim Justina nobilissima puella Romana. Etenim illa virgines suæ ætatis longè superans elegantiam formæ, cum juveni cuidam à parentibus nuptui tradita esset, in suspicionem mariti incurrebat non aliam ob causam, quam quod præter exemplum formosa haberetur. Ille ergo in candidissimæ uxoris cervicem intuitus, furore & zelo typi lymphatus, illius jugulum solvit, cujus anteà zonam laxa-

Cats p. 113. rat. De quo immani facto etiamnum hoc Epitaphium extat:

l.c. de Fæmina.

Immitis ferro secuit mea colla maritus

Dum propero nivei solvere vincla pedis,

Durus, & ante torum, qua nuper nupta coivi,

Quo cecidit nostra Virginitatis honor,

Nec culpâ meruisse necem bona numina testor,

Sed jaceo fati sorte perempta mei.

Discite ab exemplo Justine, discite, patres,

Ne nubat fatuo filia vestra viro.

§. XXII. Adhæc uxoris est, à domicilio, quod unum meritum cum marito habet non longè errare, vel abesse præter necessitatem.

8

sitatem. Scribit Plutarchus: *Egyptiarum mulieres majorum instituto calceis non fuisse usas, ut domi tempus exigerent, & addit Phidias Connubium Eliensibus Venerem fecisse, quae tessellinam calcaret, Tom. II.* ὁμογενας σύμβολον ταῦς γυναιξὶ καὶ σωπῆς, symbolum, quo p. 142. fœminæ domi sibi manendum, & suentum servandum esse admonerentur, de quo sequens Emblema loquitur:

*Alma Venus, quænam hæc facies? quid denotat illa:
Testudo, molli quam pede, Diva, premis?
Me sic effinxit Phidias, sexumq; referri
Fœmineum nostra jussit ab effigie.
Quodq; manere domi & tacitas decet esse puellas,
Supposuit pedibus talia signa meis.*

Præterea quantum amarit viventem Dominum pia uxor, post illius obitum luctu demonstrabit, quem in annum tempus leges extendunt. Enimvero qui desinere potest amor, verus nunquam fuit, nec mediocriter amissum bonum dolet, qui sincero amore præsens est complexus. Quare qui corpus tantum amant, cum illo affectum suum in tumulum condunt, contra quæcumque in hoc divinum hospitem colunt, non obstante locorum intercapacitate cogitationum alâ æthera transcendunt, nec vitæ socium potiore sui parte desistunt amare, quâ post fata superstes esse creditur Christianis. Neque vero iniquum est, ut fœmina per annum lugeat virum. Nam ut ab ipso vivente dignitatis sua jubar mutuata est, veluti Luna à Sole; ita, quamdiu alteri non nubit, defuncti radiis coruscat.

§. XXIII. Atque hæc ita se habent. Restat ut de dissolutione conjugij aliquid in medium proferamus. Fit autem illa adulterio potissimum, quemadmodum id explicatum est in nova Lege. Erat quidem olim, cum viri Dei plures uxores sibi ducerent, nec servam fastidirent, antequam libera inciperet esse fœcunda. Plerasque etiam gentes extra Ecclesiæ gremium constitutas certum est antiquitus, uti divortiorum libertate, ita multarum fœminarum conjugio usas. Propè solos barbarorum Germanos singulis uxoribus contentos suo tempore fuisse, Tacitus

Leg. Grot. de eorum moribus commemorat, idque passim ostendunt histo-
riæ tam Persicam tam Indorum. Apud Ægyptios soli sacerdo-
tess unius fœminæ conjugio utebantur. Quid Turcis hodiè li-
cet. l. 2. c. 5. §. 9. ceat impune, notum est in vulgus, qui affectum matiti cum pa-
tris amore in plures simul uxores & liberos distrahabunt & disfun-
dunt. Nobis Christianis aliter vivendum est. Quanquam se-
cundas nuptias cum quibusdam ex antiquitate ut illicitas non
damnamus, puta defunctâ personâ, cui ad mortem usque ha-
rere jubent leges. Deinde desertione malitiosa matrimonij
vinculum solvi ajunt Sapientes, utique cum omnes modi infe-
stos animos conciliandi tentati sunt frustra. Interdum vel iti-
nere, vel morbis à familiarí cura, quæ uxori debetur, revocari,
excusant ab una parte negotia, humanae vitæ imposta & ab alte-
ra calamitates, quibus expositi sumus. At verò datâ opera ab-
rumpere arctissimæ societatis filum, sui pariter atque suorum
oblivisci, nec vel tantillum audire velle de fœmina repetenda,
conclamatæ malitiæ res est, ptaesertim si illa nihil minus quam
sterilis muliebrem hortum nolit squalere, metuendumque sit, ne
ordinariò cultore absente, ipsa impatiens moræ alienum taurum
asciscat.

§. XXIV. Sed nemo facile destituit prudenti judiciò sele-
ctam & vehementer amatam, quippe illo sedulò cavetur, ne
vitium lateat in nova nupta, quod vel propria amantis libido
non deprehendat, vel periculosa parentum aut tutorum dissi-
mulatio tegat. Puta si contagioso morbo labore, vel animi
impos deliret. Quorum neutrum tamen dirimit connubium
contractum. Nam si in calamitate amicum auxilio indigen-
tem sibi relinquere injustum est, quemodo se purgabit uxor vel
maritus, si illa hunc, aut hic istam deserat ob latius grassantem
luem? Dum omnia rident & florent, & ex votò cuncta fluunt,
facile est felicem comitari & sequi, sed rebus inclinatis & in-
adversa fortuna veri amici faciem intueri, id demum est, quod
reficit afflictos, & οὐντάγοντας commendat. De furore au-
tem, nisi ex fidâ Medicorum narratione constet, fore, ut nun-
quam ponat, certum est illâ copulam non scindi, quâ con-
juges se invicem attingunt. Et verò si toties de novis votis co-
gitam-

gitandum esset, quoties conjuges furunt, nihil aliud quod agerent sacerdotes haberent, quam ut de novo mas & fœmina illis præsentibus jungerent manus. Nam cum irā incitantur, aut à vino undecunque madent, sæpè illa patrant, à quibus abstinent furiosi, nec tamen ea propter separantur, nisi tantisper, donec defæiat tempestas. Interea non leve est supplicium fœminam habere vel maritum, cui mens lúborat, ea pars, quam homines sumus.

§. XXV. Sed quid dicamus ad ultimum, de sterilitate uxoris, estne illa in causis, quæ tollunt connubialem nexum. Sanè id ratio suadere videtur, & pondus exemplorum. Ratio, quia finis matrimonij, qui est sobolis procreatio, non attingitur, quo cessante actio Philosophis dicitur suspendi. De exemplis autem res in vado est. Quippe Solon in Republ Attica *Plut. in Solonc.* pueras à fide impotenti marito datae absolvebat. Idem nihil causæ esse dicebat, cur viro strenuo denegetur uxor ad similem prolem suscipiendam. Spurius etiam Carvilius à Censoribus *Gell. l. 17.* uxore non fecundâ abstinere jussus est. Verum enim vero, ut *c. 21. Dion. Ὁρεον τῷ πότερῳ* faciamus, non exemplis vivimus, sed legibus, nec *Malicar.* tam quærimus quid fecerint antiqui, quam quid admirerint re. *Antiq.* Etē. Deinde si unum statim finem obtinere nequeant conjuges, alijs sint contenti, cogitentque secundum esse posse consortium, etiam si non sit fœtendum. Enim verò ut concipere nolle in criminе est non levi; sic per defectum Naturæ idem non posse veniam mererur & commiserationem. Non semper in agricultarum manu situm est, ut fundus diligenter consitus & exultus fructuum dulcedine soletur pios labores. Sæpè fallit eos humus, & spes intercipit atque vota. Idem fatum sæpè experiuntur indissolibili vinculo copulati. Interea alter alterum soletur & amicè compelle, & solius Dei opus esse cogent, benignâ manu erogare fœnora thesauri matrimonialis & pignora jugalis lecti.

§. XXVI. In hanc patientiam compositis impune licet Medicorum ope vel obstetricum consilio infortunium domesticum allevare. Neq; enim nunquam parit, quæ primis statim annis nihil concipit. Multa tempore, plura pijs precibus paran-

GSE.

tur. Tum si cogitent haec præsertim temp. estate piæ matronæ laboriosam liberorum educationem, tot concatenatas curas, tot pericula & anxietates, dubitent merito, magisne dolere debeant fœcundarum vicem, an sibi gratulari de toro sine ptole.

Sed sufflaminanda est oratio. Præcipua de societate illa, quæ seminarium Reipubl. audit, & inter virum & mulierem intercedit, quantum in disputatione fieri potest, attigimus. De educatione liberorum subjungenda quædam essent, nisi illius con-federationem in aliud tempus rejiceremus. Multa hic omisi-mus, multa delibavimus in transcurso, rati, omnia nec simul di-ci posse, nec ut dicantur par esse. Cœterum insontes jocos quandoque interseruimus sermoni in materia jucunda & festi-va, salvâ tamen, nisi animi nos conjectura fallit, verecundiâ & citra obscœnitatem. Quam ut detestamur semper; sic illos in vita magnificamus Philosophos, qui aliquando rident, & cum Musis gratias & lepores conjungunt, nec sapientiam æstimant ex supercilie & barba. Finimus in voto, & Deum O. M. pre-camur, ut solutis conjugij nexu, si id profuturum ipsis videat, piam & bellam adjungat sociam vitæ, cum qua hic ad fi-

xos fati lege annos, illic autem in beatorum confor-tio & absolutæ felicitatis cœtu atq; contu-bernio eis æternum bene sit,

Amen.

223

DS A 1448

ULB Halle
003 777 707

3



WDT






Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-638178-p0028-2

DFG

FarbKarte #13



78
Cum D E O !
De
SOCIETATE CONJUGALI
ex Sapientia Civilis
publicè disputabunt
M. MICHAEL SCHNEIDER
Collegij Philos. Adjunctus,
et
JOHANNES SCHNEIDER
Betterfeld.
ad diem 22. Junij
In Auditoriō Minori

WITTEBERGÆ
Ex Officinā Typogr. JOHANNIS RÖHNERI,
ANNO M DC XXXVI.